

tua, etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis, quia in causis, quae ad generalem observantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine primatibus oportet impleri. Et item in fine epistolę¹: Haec autem, frater carissime, quę ad interrogationem dilectionis tuę ideo respondi, ne aliquid contrarium sub ignorantiae excusatione gereretur, in metropolitani tui notitiam facies pervenire, ut, si qui forte sunt fratrum, qui de his antea putaverint ambigendum, per
 *f. 37. ipsum *de omnibus, quae ad te scripta sunt, instruantur. Et sanctus Innocentius decrevit dicens²: Si quae causę vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis quam etiam inferioris fuerint exortę, ut secundum synodum Nichenam congregatis eiusdem provincię episcopis iurgium terminetur, nec alicui liceat, sine praeiudicio tamen Romanę ecclesiae, cui in omnibus causis debetur reverentia custodiri, relictis his sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Quod si quis forte presumpserit, et ab officio cleri submotus et iniuriarum reus ab omnibus iudicetur. Si autem maiores causae in medio fuerint devolutę, ad sedem apostolicam, sicut synodus statuit et vetus consuetudo exigit, post iudicium episcopale referatur.

5. His canonicis constat auctoritatibus metropolitanos, qui ex antiqua consuetudine et canonica auctoritate primatum provinciarum habuerunt et in acceptione pallii ab apostolica sede pri-
 *f. 37. mates suarum provinciarum *sunt confirmati, nonnisi ex communi placito quemque de provincię suę causis alium primatem alterius provincię consulere; sicut et Anthioceni canones monstrant dicentes³: Si quis episcopus de certis criminibus iudicatur et contingat de eo provinciales episcopos dissidere, cum iudicatus ab aliis innocens creditur, reus ab aliis aestimatur, pro totius ambiguitatis absolute sanctae synodo placuit, ut metropolitanus episcopus a vicina provincia iudices alios convocet, qui controversiam tollant et per eos simul et provinciales episcopos quod iustum visum fuerit adprobetur.

6. Haec sententia sicut et proxime superior ipsius concilii placitum, non discipulatum consulendi vel convocandi in provinciam suam alium primatem a quocumque provincię primatem ostendit; quia vero provincię cuiusquam episcopus ad primatem alterius provincię non habet licentiam appellandi vel convolandi seu conqui-

¹) MIGNE 130, 889; HINSCHIUS S. 626. ²) MIGNE 67, 242 c. 10; HINSCHIUS S. 530 c. 3; MIGNE 130, 699 c. 3 (J-K. 286). ³) MIGNE 67, 162 c. 92.